DE SYMBLEPHARO TOTALI, ADIECTA SYMBLEPHARI TOTALIS ACQUISITI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS OPHTHALMO-PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XXIII. M. IULII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

MEIER LITTEN
JASTROVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. POLNOW, MED. ET CHIR. DD.
M. JOSEPHSON, MED. ET CHIR. CAND.
E. NICKSE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO ATQUE NOBILISSIMO

J. L. AUERBACH,

DOCTORI PHILOSOPHIAE, ORATORI COMMUNITATIS JUDAICAE BEROLINENSIS ET LIPSIENSIS PUBLICO,

FAUTORI SUMME COLENDO

NEC NON

FRATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

H. LITTEN

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Duobus annis, per quos instituta clinica nosocomii Caritatis Berolinensis frequentavi, multos morbi casus memorabiles vidi, notavi et diligenter elaboravi. Dissertationem mihi nunc conscripturo optimum visum est, ex his casibus gravissimum et maximi momenti eligere accuratiusque excutere. Inter omnes vero morbi casus nullus tantopere mihi arrisit, quam Symblepharon totale nobis oblatum, eoque libentius hanc dissertationis conscribendae materiam amplexus sum, quo rarius symblepharon totale acquisitum observatur. Non possum igitur, quin Ill. Prof. Juengken, in cu-

jus schola clinica, ut hunc morbi casum primum viderem et observarem, mihi contigit et qui, ut hanc morbi historiam primus publici juris facerem, solita benignitate mihi concessit, maximas agam gratias.

Te vero, Lector benigne, ut operi meo juvenili humane indulgeas, rogatum velim.

DE SYMBLEPHARO TOTALI.

Definitio.

Symblepharon illud oculorum malum nominatur, in quo sive concrescendo sive conjunctivae contractione palpebrae ab oculi bulbo abduci non possunt. Hic palpebrarum cum bulbo coalitus sive est partialis, cum aliqua tantum palpebrarum pars cum bulbo cohaerescit, sive totalis, cum nullus palpebrarum locus ab illo malo vacuus relinquitur.

Divisio.

Sunt autem, ut Symblephari partialis, sic etiam totalis varia genera. Alterum genus efficitur *), cum conjunctiva communis degenerat, condensatur, contrahitur, palpebrarum

*) Das Symblepharon und die Heilung dieser Krankheit durch eine neue Operationsweise. Ein Glückwunschschreiben von F. A. v. Ammon. Dresden 1833. pag. 9. 10.

parietem posteriorem et bulbi partem infimam deserit et tanquam directe, plica nulla neque a tergo neque intus formata, a palpebrarum margine ad bulbum transit. Quod si fit, plicae longitudinales in conjunctiva apparent, quae corneam transgredientes saepius novae formationes habentur, quia conjunctiva colorem suum peculiarem amisit singularemque induit candorem. In hoc Symblephari totalis genere magna copia telae cellulosae recens formatae, condensatae et cum pariete palpebrarum posteriori cohaerentis post conjunctivam invenitur in ea regione, qua normali statu haec membrana inter bulbum et palpebram reflectitur. Ammon in casu quodam verisimile congenito accuratius conjunctivam observavit eamque cuti similem factam, figuris regularibus, angularibus, quales in epidermide conspicimus, praeditam, capillis vero non consitam esse vidit. Hoc Symblephari genus saepius in palpebra inferiori quam superiori animadvertitur. (Symblepharon posterius secundum Ammon).

Alterum Symblephari totalis est genus, cum intra ipsam conjunctivam bulbi et palpebrarum communem concrescendi causa est data ibique

synechia totalis oritur. Hoc Symblepharon rursus aut unam aut utramque palpebram simul occupare potest. (Symblepharon anterius secundum Ammon).

Morbi frequentia.

Symblepharon partiale jam rarus est morbi casus, quod mutationes nimis graves et vitalitatis et texturae conjunctivae fiant necesse est, ut haec ad concrescendum parum apta membrana ad hunc processum disposita reddatur; ad casus vero longe rarissimos Symblepharon totale pertinet et fere nunquam acquisitum cernitur. Ill. Juengken unum tantum ejusmodi casum Vindobonae observavit, cujus in de Graefe et Waltheri ephemeridibus literariis*) mentionem facit. Hic casus acerbus viro juveni viginti annos nato accidit, qui mercurio praecipitato rubro in blennorrhoea catarrhali-rheumatica adhibito Symblepharon utriusque oculi totale sibi contraxerat.

Multo saepius **) Symblepharon totale vitium primae formationis observatur.

*) D. L. Graefe und D. F. v. Walther Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. 1820. I. Bd. III. Heft.

**) J. C. Juengken. Die Lehre von den Augenheilkrankheiten. Berlin 1832. p. 648.

Primo nempe embryonis humani formationis tempore, quo nondum ulla palpebrarum vestigia apparent, sed oculorum bulbi ut globuli parvi et paullulum compressi ad capitis latera siti sunt, membrana subtilis, tenuis et velo pellucido similis, quae totam foetus superficiem circumdat, etiam oculos obducit. Sensim sensimque palpebrae, quarum inferior prius oritur, simplicibus cutis plicis formantur. Hac re membranae externae tenuissimae pars introrsus reflectitur ibique laevitatem suam suamque mollitiem conservat, dum membrana externa paullatim in cutem et epidermidem mutatur. Plicis illis pedetentim sese prolongantibus, magis magisque palpebrae excoluntur tandemque in palpebrarum fissura sese tangunt, ita ut totus bulbus tegatur. Hac formatione simplici, scilicet cute communi in plicas duas pedetentim sese prolongantes tandemque se invicem tangentes complicata, cavum oritur, quod, smegmate cutis communis in palpebrarum fissura coacervato, per aliquod tempus clausum manet, quod vero paulo ante vel paulo post partum aperitur eaque re palpebrarum fissuram efficit. Hoc cavum, quoad

clausum est, fluido pellucido completur, quod a membrana interna secernitur et quod, quominus bulbus palpebras tangat et cum iis cohaerescat, impedit.

Cum autem plicae supra descriptae non formantur, sed membrana illa, quae totam corporis superficiem obducit, a palpebrarum margine statim ad oculi bulbum, pariete palpebrarum posteriori non obducto, transit, cavum illud supra nominatum non formatur, et palpebra toto in ambitu oculorum bulbo adhaeret.

Si quis fortasse hoc Symblepharon totale nominandum non esse censeret, quia tali in casu nulla palpebra perfecta inveniatur, nemo tamen dubitabit, quin hoc Symblepharon posterius secundum Ammon habendum sit, quod longius productum nihil nisi Symblepharon totale est. Non quidem, largior, hoc ad id Symblephari genus pertinet, quod conjunctivae palpebrarum et bulbi agglutinatione ortum est, nihilominus tamen, quaecunque est causa, Symblepharon totale est habendum, cum palpebrae toto in ambitu cum bulbo cohaerescant.

Causae.

Eaedem causae, quae Symblepharon partiale progignunt, etiam totale provocant, cum amplius et fortius vim suam exercent; quam ob rem eaedem potentiae nocentes, quae in illo morbo accusantur, etiam hic nominandae erunt. Quaecunque vero est causa, semper conjunctiva ad agglutinationem parum apta tantopere in structura sua mutetur, necesse est, ut proclivitas illa exilis superari possit.

Ad has igitur causas vulnerationes oculi graves et amplae pertinent. Si autem vulnus, licet gravissimum sit, palpebrarum conjunctivam solam afficit, nunquam ne partiale quidem Symblepharon provocabitur, quia bulbi conjunctiva intacta, ut membrana mucosa, ad agglutinationem cum laesa palpebrarum conjunctiva apta non reperitur. At si vulneratio palpebrarum et bulbi conjunctivam simul occupavit, ita ut utriusque membranae pars amissa sit et palpebrae et bulbi partes conjunctiva privatae sese invicem tangant, tum Symblephari occasio et conditio data est, quod etiam revera formatur, cum aut photophobiae

causa aut medici jussu oculi per nimium temporis spatium clausi et immobiles tenentur.

Multo saepius materiae destruentes et corrodentes Symblepharo ansam praebent, exempli gratia: calx viva, kali causticum, hydrargyrum muriaticum corrosivum, lapis infernalis, acida concentrata, neque minus combustiones. Quae materiae, conjunctivam utramque destruentes, telam cellulosam sub membrana illa jacentem nudatam relinquunt, ex qua granulatio luxurians et consolida utrimque surgens mox sese invicem tangit et arctissimam conjunctivae communis efficit conjunctionem. Quo major materiae corrodentis, quae inter palpebram et bulbum irrupit, copia est, quo vehementius vis ejus destruens agit, eo facilius, celerius et amplius Symblepharon formatur. Casum quendam memoratu dignum e combustione ortum Benedictus*) narrat. Puella quaedam in carbones candentes prolapsa non solum faciem sed imprimis oculos laeserat. Medicaster quidam advocatus, mirabile dictu — (verba autoris) — nil nisi

*) Benedict Handbuch der Augenheilkunde. Bd. III. pag. 102.

stercoris aquae fomentationes imperaverat et ne oculi moverentur vetuerat. Hujus curae perversae eventus Symblepharon fere totale utriusque oculi fuit.

Alia Symblephari causa non minus frequens conjunctivae communis inflammationes, blenorrhoeae sunt, praecipue cum remedia acria adhibentur, et tandem ophthalmiae variolis ortae. In blenorrhoeis conjunctivae forma et structura tantopere alienatur, ut sat gravem Symblephari occasionem praebeat. Nam haec membrana sano statu splendida, pellucida, alba, laeva et vasis tenuibus injecta reperta, nunc opaca, crassa, coccinea, papillis frequentibus, ex quibus mucus secernitur, consita apparet. Hic tam corrodens est, ut epithelium destruat, ulcera ampla et alte serpentia efficiat ideoque Symblephari proclivitatem excolat.

Symblephari e vitio primae formationis orti nullam profero causam, quod hoc ut alia primae formationis vitia nondum satis patet.

Prognosis.

Propter mali ambitum, corneae degenerationem et salutis desperationem Symblepha-

ron totale ad gravissima oculi mala pertinet. Palpebrarum bulbique agitatio et motus inhibentur, lacrimarum secretio cessat, corneae conjunctiva exarescit, fit opaca et epidermidi similis, et videndi facultas non solum minuitur sed omnino deletur. Accedit, quod nulla sanitatis restituendae restat spes, quod omnia remedia, qualiacunque sunt, nil nisi malum augent, neque minus culter adhibitus. Nam vulnera arte facta semper facillime sese tangunt eoque celerius agglutinantur, quo magis conjunctiva depravata nunc autem vulnerata ad reactionem inflammatoriam plasticamque exsudationem proclivis reperitur.

Cura.

Symblepharon totale nulla ratione sanari potest. Omnes de Symblepharo curando vulgatae operationis methodi ad partiale solum pertinent excluduntque totale; nec immerito. Nam in quo majore ambitu membranae illae concrescunt, eo firmius et arctius cohaerent eoque celerius discisione facta rursus agglutinantur; et tela illa inter membranas collocata, solidissima, vasculosa, cellulosa cum scleroticae, corneae et palpebrarum substan-

tia ita contexitur et tam arcte cohaeret, ut cujusque organi fines constitui nequeant. Incisio igitur, qualiscunque est, vim habet noxiam; cum, quo incidatur, non pateat, cum inflammatio operationem sequens telae cellulosae ad granulationem luxuriantem arctissimamque agglutinationem proclivitati inserviat, quae tum neque internis neque externis remediis neque apparatibus mechanicis praecaveri potest. Hoc in malo idem accidit, quod in aliis organis concrescentibus, exempli gratia in digitis, ubi cautio vel maxima adhibita malum progrediens non inhibet, ubi omnis incisio inutilis et inanis est nec quidquam aliud efficit, nisi ut vinculum eo tenacius exsistat. In casu singulari supra commemorato ab Ill. Juengken provulgato culter operativus adhibitus est, et quamquam bulbus ipse praeter corneae obscurationem, a conjunctivae bulbi et palpebrarum agglutinatione ortam, sanus et bene conservatus repertus est, attamen sex hebdomadibus post conjunctiva utraque rursus coalescere coepit et certo postea in pristinum statum reversa est.

Ammonis nova Symblephari curandi me-

thodus de partiali solo loquitur neque adhibenda esset, cum propter amplum connexus ambitum colobomatis formandi nullus esset locus, et formatum cum bulbi laesa parte rursus et arctius cohaeresceret.

Si de ulla operationis methodo sermo esse deberet, illa fortasse a Crampton ad entropium sanandum indicata tentanda esset. Cujus ratio haec est. Cum exempli gratia palpebra superior hoc malo laborat, incisiones duae aeque inter se distantes ad utrumque superciliorum latus ab arcu superciliari usque ad palpebrarum marginem ducuntur, tum incisionibus horizontalibus palpebra a connexione cum bulbo liberatur, totus palpebrae lobus attollitur et filis crassis ad frontem adnectitur. Hoc in loco palpebra retinetur, donec superficies vulneratae quaeque pro se ad cicatrisationem ductae sunt. Qua effecta, operatio colobomatis instituitur.

Quae cum ita sint, cum mali perfecti nullum exsistat remedium, omne studium in eo ponendum est, ne, occasione data, illud malum oriatur. Itaque in quaque aut instrumentorum vulneratione aut agentiarum che-

micarum destructione, quae conjunctivam bulbi et palpebrarum simul affecerunt, videndum erit, ne superficies vulneratae sese invicem tangant et immobiles maneant, ne fascia gravitate sua oculi mobilitatem coërcens alligetur. Materiae nocentes aut removendae, aut diluendae, aut involvendae erunt. Oculi ab aegroto vel ejus cognatis saepius aperiri et moveri debebunt. In blenorrhoeis et inflammationibus incrementi et acmes tempore omnia remedia irritantia et excitantia et acria praecipue opii tinctura, in his morbis tot malorum auctrix, vitanda, secretum corrodens abluendum ideoque ulceribus providendum erit.

SYMBLEPHARI TOTALIS ACQUISITI HISTORIA.

Maria Stegemann, Saliswedliensis, scriniarii uxor, annos quadraginta duos nata, architectura quidem debili, nunquam tamen valetudine iniqua ita conflictata est, ut medici opem petere cogeretur. In pueritia parvulorum exanthematibus sine noxa defuncta, a variolis immunis non mansit, quae eruptione

quidem larga florentes, sine ullo tamen corporis damno evanuerunt. Pubertatis tempore a menstruationis intrantis doloribus multum vexata, anno vicesimo prosperam nacta est valetudinem, quae etiam usque ad mali infra describendi initium incolumis mansit. Anno vicesimo tertio in matrimonium ducta liberos peperit quatuor, quorum minimus natu jam in statu morboso aegrotae in vitam venit. Prolem fere nunquam magnis enixa est doloribus, et puerperium legitime praeteriit.

Ante tres circiter abhinc annos oculorum malo et fere simul exanthemate quodam oppressa est aegra, cujus utriusque morbi signa propter longum tempus inde praeterlapsum tam adumbrata et manca delineat aegrota, ut morbi naturam non satis perspectam habeam et conjectura tantum probabili nitar.

Die quodam tempore pomeridiano in horto suo occupata aegrota subito dolores pungentes in utroque oculo persensit, qui nullam nacti vehementiam tamen, ut oculos clauderet omissoque labore domum iret, eam coëgerunt. Postero mane palpebrae leviter oblitae fuerunt, dolor quidem adfuit urens sed modicus,

omnia symptomata oculis ablutis remiserunt; at sub vesperem in pristinum statum reversus est morbus. Hac in conditione per dies tres mansit aegrota, cum alia eaque graviora accederent symptomata. Tertio nimirum die pruritum et uredinem in tota corporis superficie, frigus et calorem tantamque aegritudinem percepit, ut lectum petere cogeretur. Die quarto morbi exanthematis cujusdam eruptio secuta est, quod cum febri vehementi procedens non solum superficiem cutaneam sed etiam mucosam faucium et oris membranam occupavit, ita ut deglutitio difficilis et dolens esset. Simul cum exanthematis eruptione etiam oculi dolores accreverunt non solum internas verum etiam externas oculi partes occupantes et adeo sunt aucti, ut quisque oculorum motus molestias amplificaret; nullo certo diei tempore exacerbatio et remissio intravit. Palpebrae valde tumefactae secreto crasso oblitae fuerunt, photophobia fuit maxima; quam ob rem aegra oculos non solum non aperuit, sed quiete tenendo dolorem lenire studuit. Per sex dies, per quos exanthema in flore mansit, etiam oculi malum in

fastigio stetit, et cum eo evanescente etiam dolores et photophobia decreverunt. Quod ad exanthematis formam pertinet, pauca tantum ad diagnosin affert aegrota; hoc solum pro certo affirmat, initio papulas in lucem prodiisse, has in pustulas transiisse et has crustas secutas esse, quae singulis hebdomadibus post cum totius cutis desquamatione evanuerint.

Tali igitur modo acme inflammationis praeterita, secreti ex oculis effluxu minuto, doloribus mitigatis, fomentationibus lactis et Sambucci infusi, quas medicus advocatus praescripserat, rejectis, primum oculos aperire conata est aegra; sed maxima cum animi anxietudine palpebras ab oculi bulbo se amovere non posse animadvertit. At non solum motus impeditus et coërcitus, sed etiam videndi facultas minuta fuit, ita ut quidem tenebras et lucem discernere, etiam extrema rerum lineamenta non accurate dignoscere posset, oculorum autem acies hebes facta eam ad quodcunque negotium gerendum non aptam redderet. Oculus sinister maxime immobilis videndique facultate privatus fuit, dum dexter fa-

cilius huc atque illuc moveri omnesque res accuratius agnoscere potuit.

Medicus alter decem hebdomadibus post mali initium advocatus oculi sinistri malum insanabile esse judicavit, dextri vero operationem suscepit, post quam per dies octo integra hujus oculi valetudine gavisa est aegrota. Quibus vero diebus praeterlapsis videndi facultas sensim sensimque minuta et morbus in pristinum statum reversus est. Abhinc haud secus quam in tenebris errabat, prospectu oculorum impedito; sed cum particulas cutaneas in cornea sese formantes decerperet, aut aqua oculos humectaret, pro momento res circumstantes melius dignoscere valebat.

Praeterea firma corporis affectione semper manebat eoque acerbius amissam oculorum aciem ferebat; quam ob rem Berolinum proficisci et a medicis experientissimis auxilium petere statuit.

Status praesens.

Die vicesimo tertio mensis Februarii in nosocomium Caritatis recepta aegra haec nobis praebet phaenomena.

Utriusque oculi palpebrae cum bulbo co-

haerentes omnem oculi agitationem sequuntur, et ipsae motae bulbum secum trahunt. Bulbus sinister toto in ambitu cum palpebris conjunctus est, ita ut nulla ejus pars vacua sit; dexter magnam partem cohaeret, sed imprimis ad lacum lacrimalem incolumis reperitur. Spatium inter marginem supraorbitalem et tarsalem in oculo sinistro collapsum est, quod verisimile a glandula lacrimali minuta pendet. Lacrimarum secretio plane cessat, in oculo dextro tamen aliquid lacrimarum secerni videtur. Nares haud arent. Bulbi sub attactu bene resistentes et normalis magnitudinis sentiuntur. Videndi facultas non deleta sed tantum palpebrarum agglutinatione et corneae degeneratione impedita est; quam ob causam non solum lucem et tenebras dignoscere, sed oculo dextro etiam res majores agnoscere potest aegrota. Conjunctiva corneae mumifacta et in epidermidi similem membranam mutata est, ita ut aegrota particulas minores avellere possit, quo facto visus conditio melior fit et pro momento manet. Sinistri oculi agglutinatio ejusmodi est: palpebra superior ita adhaeret, ut margo ciliaris mediam cor-

neae partem transgrediatur; palpebrae inferioris margo corneam non attingit, sed lineas duas infra eam adnatus est. Hac re inter utriusque palpebrae marginem fissura tantum parva relicta est, in qua mutationes corneae supra descriptae inveniuntur. Etiam canthi oculi corneae magis, quam in statu normali propinquant, ita ut etiam ab altero latere ad alterum fissurae spatium coërceatur. Canthus internus lineas quatuor, externus duas lineas a cornea abest. Sed non solum margines bulbo ita adhaerent, verum etiam paries palpebrarum posterior totus; quod, cum bulbus movetur, perspicue animadvertitur.

Diagnosis.

Quibus praemissis nemini dubium erit, quin malum praesens oculi Symblepharon sit et quidem oculi sinistri totale, dextri partiale. Quaeritur autem, cujus naturae oculi malum fuerit, quod Symblepharon antecesserit et provocaverit. Inter duas tantum res ambigi potest, inter blenorrhoeam et inflammationem. Tumor palpebrarum ingens, secreti palpebras oblinentis magna copia, photophobia doloresque vehementes pro blenorrhoea revera lo-

quuntur; sed constans cum exanthemate florescente incrementum, dolorum et photobiae cum evanescente decrementum, praecipue vero celeris singulis diebus facta agglutinatio cum blenorrhoeae sententia sociari non possunt. Restant igitur tantum inflammationes, quae genere juste electo omnia symptomata bene defendunt. Magis igitur ad verum accedit sententia, oculi inflammationem exanthematicam fuisse eamque e talis exanthematis eruptione pependisse, quod concrescendi proclivitati inserviat, eam igitur cum eodem accrevisse et decrevisse. Symptomata etiam omnia bene congruunt; scimus enim, inflammationes exempli gratia variolosas cum magno palpebrarum tumore, larga muci meibomiani secretione, photophobia et doloribus vehementibus esse conjunctas, praecipue cum etiam corneam pustulae occupent, et haec symptomata simul cum variolis accrescere et decrescere. Si igitur inflammationem variolosam fuisse judicare liceret, omnia symptomata etiam celere, quo Symblepharon formatum sit, spatium concordarent, et una tantum obsisteret res, quod nempe oculi malum tribus diebus ante exan-

thematis eruptionem jam inceperit. Sunt enim inflammationes exanthematicae morbi symptomatici, qui exanthema non antecederc sed solum cum eo apparere et rursus evanescere possunt. Haec autem dubitatio allata mox fugiet, si cogitamus, inflammationem exanthema antecedentem doloribus mediocribus et sub vesperem exacerbantibus indolem suam catarrhalem probare, et oculos jam morbo laborantes eo facilius exanthemate correptos esse.

Nunc autem res maximi discriminis causaeque caput respiciendum est, exanthematis nempe natura. Cum variolis in pueritia jam defuncta sit aegra, res fit ardua et difficilis; cum autem secundum aegrotae indicium exanthema pustulosum fuerit et praeter variolas et varioloides nullum exanthema nisi ecthyma ad pustulosa et acute decurrentia pertineat, ut exanthema pro ecthymate judicem, mihi liceat. Quae sententia eo verisimilior fit, cum saepius ab ecthymate imprimis lubrido totas corporis partes exempli gratia labia concrescere videamus.

Quae cum ita sint, hic decursus fuit ordo. Primo inflammatione catarrhali, refrigeratione contracta, laboravit aegra; ecthyma deinde acu-

tum tota in corporis superficie apparens eo facilius oculos occupavit, quo magis morbo antecedente dispositi facti erant. Et photophobia et quod clausos et immobiles semper tenebat oculos aegra, Symblepharon sinistri oculi totale, dextri partiale ecthyma concrescendo praeterea jam favens formavit.

Ad res vero maxime memorabiles pertinet, quod oculi atrophia confecti non sunt et pro tam gravi malo videndi facultas tam bene conservata est.

Cura.

Symblopharon totale morbum insanabilem esse judicatum, dextri oculi autem operatio suscepta est; nec immerito. Nam bulbus dexter ab agglutinatione imprimis ad canthum oculi internum liber, atrophia non confectus, corneae conjunctivae degeneratio non nimis provecta, videndi facultas bene conservata fuit. Lacrimarum secretio omnino non cessavit, quae post operationem, aëre ductus lacrimales incitante et irritante, aucta etiam conjunctivae corneae metamorphosin mutare debuit.

Aegrota, curae eventu non exspectato, domum profecta est.

VITAE CURRICULUM.

Ego Meier Litten Jastrovii anno MDCCCXIII. natus, fidei veteri addictus, patrem Wolff jam defunctum vehementissime lugeo, matris vero Emmae, e gente Meyer vita integra gaudeo. Primis litterarum rudimentis privatim imbutus, anno decimo quarto in gymnasium Neosedinense me contuli. Quod sub Directore Ill. Kaulfuss, cujus mortem valde lugeo, florens cum per quinquennium frequentassem, anno MDCCCXXXII. testimonium maturitatis nactus Berolinum me contuli. Ubi in civium universitatis Fridericae Guilelmae a Rectore t. t. magnifico Ill. Marheineke numerum receptus a Beat. Rudolphi t. t. facultatis Decano medicinae studiosis adscriptus sum. Per quadriennium vero his interfui praelectionibus. Docuit me Beat. Rudolphi encyclopaediam medicinae, Ill. Schlemm osteologiam, anatomiam generalem, anatomiam organorum sensuum, syndesmologiam et splanchnologiam; Ill. Mueller physiologiam, organorumque sensuum anatomiam; dissecandi cadavera artis Ill. Mueller et Ill. Schlemm mihi

duces fuerunt. De logice Ill. ab Henning, de cognitione dei et vita morali Ill. Ritter, de lege agraria Cel. Zumpt, de chemia et zoochemia Ill. Mitscherlich, de botanice, historia naturali et pharmacologia Ill. Link, de physice experimentali Cel. Dove, de mineralogia Ill. Rose, de zoologia Ill. Lichtenstein, de pathologia et therapia speciali Ill. Wagner, de pathologia generali Ill. Hufeland, de akiurgia Cel. Froriep, de materia medica Ill. Osann disserentes audivi. Praeterea per duos annos clinica et medica et chirurgica et ophthalmiatrica et obstetricia et illa circa infantium morbos Illustrissimorum et Celeberrimorum Virorum Wolff, Osann, Bartels, Rust, Truestedt, Juengken, Kluge, Barez diligenter frequentavi.

Quibus viris omnibus, summe venerandis maximeque de me meritis, maximas ago gratias eorumque memoriam pia grataque mente semper servabo.

THESES.

1. *Scrophulosis et tuberculosis idem est morbus.*
2. *Non est remedium febrifugum.*
3. *In hydrocele operanda cautio eadem est observanda, quae in tumoribus cysticis.*
4. *Pseudoerysipelatis varia sunt genera.*
5. *Aquae soteriae artificiales naturalibus postponendae.*